

**CIHM
Microfiche
Series
(Monographs)**

**ICMH
Collection de
microfiches
(monographies)**



Canadian Institute for Historical Micrорroductions / Institut canadien de microraproductions historiques


© 1995

Technical and Bibliographic Notes / Notes techniques et bibliographiques

The Institute has attempted to obtain the best original copy available for filming. Features of this copy which may be bibliographically unique, which may alter any of the images in the reproduction, or which may significantly change the usual method of filming, are checked below.

- Coloured covers/
Couverture de couleur
- Covers damaged/
Couverture endommagée
- Covers restored and/or laminated/
Couverture restaurée et/ou pelliculée
- Cover title missing/
Le titre de couverture manque
- Coloured maps/
Cartes géographiques en couleur
- Coloured ink (i.e. other than blue or black)/
Encre de couleur (i.e. autre que bleue ou noire)
- Coloured plates and/or illustrations/
Planches et/ou illustrations en couleur
- Bound with other material/
Relié avec d'autres documents
- Tight binding may cause shadows or distortion
along interior margin/
La reliure serrée peut causer de l'ombre ou de la
distortion le long de la marge intérieure
- Blank leaves added during restoration may appear
within the text. Whenever possible, these have
been omitted from filming/
Il se peut que certaines pages blanches ajoutées
lors d'une restauration apparaissent dans le texte,
mais, lorsque cela était possible, ces pages n'ont
pas été filmées.
- Additional comments:/
Commentaires supplémentaires:

This item is filmed at the reduction ratio checked below/
Ce document est filmé au taux de réduction indiqué ci-dessous.



L'Institut a microfilmé le meilleur exemplaire qu'il lui a été possible de se procurer. Les détails de cet exemplaire qui sont peut-être uniques du point de vue bibliographique, qui peuvent modifier une image reproduite, ou qui peuvent exiger une modification dans la méthode normale de filmage sont indiqués ci-dessous.

- Coloured pages/
Pages de couleur
 - Pages damaged/
Pages endommagées
 - Pages restored and/or laminated/
Pages restaurées et/ou pelliculées
 - Pages discolored, stained or foxed/
Pages décolorées, tachetées ou piquées
 - Pages detached/
Pages détachées
 - Showthrough/
Transparence
 - Quality of print varies/
Qualité inégale de l'impression
 - Continuous pagination/
Pagination continue
 - Includes index(es)/
Comprend un (des) index
- Title on header taken from:/
Le titre de l'en-tête provient de:
- Title page of issue/
Page de titre de la livraison
 - Description of issue/
Titre de départ de la livraison
 - Masthead/
Générique (périodiques) de la livraison

The copy filmed here has been reproduced thanks to the generosity of:



National Library of Canada

The images appearing here are the best quality possible considering the condition and legibility of the original copy and in keeping with the filming contract specifications.

Original copies in printed paper covers are filmed beginning with the front cover and ending on the last page with a printed or illustrated impression, or the back cover when appropriate. All other original copies are filmed beginning on the first page with a printed or illustrated impression, and ending on the last page with a printed or illustrated impression.

The last recorded frame on each microfiche shell contains the symbol → (meaning "CONTINUED"), or the symbol ▽ (meaning "END"), whichever applies.

Maps, plates, charts, etc., may be filmed at different reduction ratios. Those too large to be entirely included in one exposure are filmed beginning in the upper left hand corner, left to right and top to bottom, as many frames as required. The following diagrams illustrate the method:



L'exemplaire filmé fut reproduit grâce à la générosité de:

Bibliothèque nationale du Canada


Les images suivantes ont été reproduites avec le plus grand soin, compte tenu de la condition et de la netteté de l'exemplaire filmé, et en conformité avec les conditions du contrat de filming.

Les exemplaires originaux dont le couverture en papier est imprimée sont filmés en commençant par le premier plié et en terminant soit par la dernière page qui comporte une empreinte d'impression ou d'illustration, soit par le second plié, selon le cas. Tous les autres exemplaires originaux sont filmés en commençant par la première page qui comporte une empreinte d'impression ou d'illustration et en terminant par la dernière page qui comporte une telle empreinte.

Un des symboles suivants apparaîtra sur la dernière image de chaque microfiche, selon le cas: le symbole → signifie "À SUIVRE", le symbole ▽ signifie "FIN".

Les cartes, planches, tableaux, etc., peuvent être filmés à des taux de réduction différents. Lorsque le document est trop grand pour être reproduit en un seul cliché, il est filmé à partir de l'angle supérieur gauche, de gauche à droite, et de haut en bas, en prenant le nombre d'images nécessaire. Les diagrammes suivants illustrent la méthode.

MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
(ANSI and ISO TEST CHART No. 2)



APPLIED IMAGE Inc

1653 East Main Street
Rochester, New York 14609 USA
(716) 482 - 0300 - Phone
(716) 288 - 5989 - Fax

THESES PHILOSOPHICÆ

OCTO NUMERO

IN USUM ADEUNTIUM BAÇCALAUREATUM
IN SCIENTIIS

AUCTORE


STANISLAO-A. LORTIE

SAUR.E THEOLOGIE DOCTORE ET PROFESSORE IN UNIVERSITATE
LAVALLENSI




QUEBECKI
EX TYPOGRAPHIA FRATRUM DEMERS

1902



THESES PHILOSOPHICÆ



THESES PHILOSOPHICÆ

OCTO NUMERO

IN USUM ADEUNTIUM BACCALAUREATUM
IN SCIENTIIS

AUCTORE

STANISLAO-A. LORTIE

SACRAE THEOLOGIE DOCTORE ET PROFESSORE IN UNIVERSITATE
LAVALLENSI



QUEBECI
EX TYPOGRAPHIA FRATRUM DEMERS

1902

B839
L67
1902

IMPRIMATUR

† L.-N., ARCHIEP. QUEBECEN.

Quebeci, 4^e Decembri 1901.

Cum ex Seminarii Quebecensis præscripto recognitum fuerit opus cui titulus est *Theses philosophicæ octo numero in usum adeuntium Baccalaureatum in Scientiis, auctore Stanislao A. Lortie, Sacrae Theologiæ doctore et professore in Universitate Lavaliensi*, nihil obstat quin typis mandetur.

O.-E. MATHIEU, Pter,

S. S. Q.

DEFINITIONES

Extensio ideæ est collectio individuorum quibus idea convenit: v. g. idca *animalis* extensioue sua complectitur homines et bruta.

Comprehensio ideæ est collectio notarum quæ constituant ideam: v. g. homo est substantia, corporea, vivens, sensibilis, rationalis, collectio istarum quinquo notarum constituit ideæ hominis comprehensionem.

Analogie nomen ideæ sonat ac proportio seu proportionalitas. Analogia sunt ea quorum nomen commune est, res sou ratio per nomen significata partim eadem partim diversa: v. g. *visio* dicitur de cognitione sensitiva visus, et de cognitione intellectiva.

Analogia est vel *attributionis* vel *proportionis*.

Analogia attributionis sunt illa quorum nomen commune est, ratio autem per nomen significata eadem secundum terminum, diversa autem secundum habitudines ad ipsum; v. g. *sanum* est nomen commune medicinae, colori et animali, et ratio per nomen significata est eadem secundum terminum, nempe omnia sunt et dicuntur sana propter ordinem ad sauitatem, sed diversa secundum habitudines ad ipsum, quia diversa est habitudo unius et alterius ad illum terminum. Etenim animal est subjectum sanitatis, color signum, medicina causa ipsius, unde habitudo subjecti, signi et causæ.

Analogia proportionis sunt illa quorum nomen commune est, ratio autem per nomen signi-

ficata eadem sed secundum proportionem tantum : v. g. *visio* dicitur de cognitione intellectuali, vel de cognitione corporali. Hæc est analogia proprie dicta.

Prædicabilia sunt diversi modi secundum quos aliquid de aliquo affirmari potest : sunt quinque numero, scil. genus, species, etc.

Retorsio argumenti est sumptio argumenti adversarii ad demonstrandum contrarium ejus quod ab ipso demonstratum fuerat.

Sophisma est syllogismus vel argumentatio quæ sub specie veri falsum concludit.

Sophisma sensus divisi est acceptio propositionis veræ in sensu composito ut veræ in sensu diviso : v. g. sanus nequit esse infirmus. Sanus est concretum compositum ex aliquo subjecto et sanitate : illa propositio est vera si intelligatur de composito, sed est falsa si intelligatur de subjecto tantum, scil. in sensu diviso.

Sophisma sensus compositi est acceptio propositionis veræ in sensu diviso ut veræ in sensu composito : v. g. cæci vident. Cæcus est concretum compositum ex subjecto et privatione visus ; illa propositio est vera si intelligatur de subjecto tantum, nempe in sensu diviso, non autem si intelligatur de composito, seu in sensu composito.

Disputatio syllogistica est concertatio circa aliquam thesim, ut veritas magis elucescat, iustituta inter duos quorum alter thesim tuetur, alter impugnat, syllogistica forma arguendo.

Traditio oralis est series non interrupta testium qui factum quoddam viva voce referunt et quorum alii ad originem facti ascendunt, alii autem vivunt in nostra ætate.

Monumenta sunt opera durabilia arte confecta ad tradendam posteris alicujus facti vel doctrinæ memo-

riam, v. g. statuae, arcus, templa, numismata, picturæ, inscriptiones.

Historia est alicujus vel aliquorum factorum scripta narratio.

Auctoritas est vis moralis determinativa assensus intellectus nostri ad aliquam propositionem, ex scientia et veracitate dicentis resultans.

Factum est omne illud quod sensibus cognoscitur vel percipitur.

Dogma est omnis cognitio quam quis idearum comparatione sive immediate sive mediate acquisivit.

THESES

I

RATIONALISMUS NON EST ADMITTENDUS

Rationalismus est systema illorum qui contendunt nullam adesse veritatem quam ratio humana attingere non valeat, ideoque denegant existentiam veritatum quæ captum rationis superarent.

Rationalismus dicitur *absolutus*, si directe veritatum supernaturalium existentiam denegat; *mitigatus* autem nuncupatur, si indirecte tautum hæc denegatio habeatur, istas nempe veritates ad modum veritatum naturalium explicans.

Contra rationalistas sic arguitur: Sunt veritates quæ captum intellectus humani necessario superant. Ergo rationalismus non est admittendus. Antecedens triplici ex argumento demonstratur:

1º) *Ex objecto proprio humani intellectus* :—Objectum proprium cuiuscumque facultatis est id quod primo attingitur ab illa facultate et quo *mediante* alia attiugit: sic, color, respectu visus. Ergo intellectus humani capacitatem nulla veritas excedit, dummodo objectum intellectus proprium sit medium sufficiens ad omnia cognoscenda. Atqui objectum proprium intellectus nostri non est hujusmodi. Ergo necessario sunt quædam veritates quæ captum intellectus nostri excedunt.

Ad minorem: Etenim in praesenti rerum statu objectum proprium intellectus est quidditas rei materialis,

quæ quidditas, licet sit medium sufficiens ad cognitionem rerum uaturalium, tamen non valet nos ducere ad opinionia præsentim de Deo cognoscenda; unde multa sunt de Deo quæ intellectus noster attingere non potest.

Audiatur S. Thomas: "Si intellectus alicujus rei substantiam comprehendit, nullum intelligibilium hujus rei facultatem humanæ rationis excedet. Quod quidein nobis circa Deum non accidit. Nam ad substantiam ipsius capiendam, intellectus humanus non potest naturali virtute pertingere, quum intellectus nostri, secundum modum præsentis vitæ, cognitione a sensu incipiat. Et ideo ea quæ in sensu non cadunt non possunt humano intellectu capi, nisi quatenus ex sensibus corum cognitione colligitur. Sensibilia autem ad hoc ducere intellectum nostrum non possunt, quum sint effectus causæ virtutem non æquautes. Sunt igitur quædam intelligibilia diuinorum, quæ omnino vim humanæ rationis excedunt."¹

2º) *Ex intelligentium gradibus*:—Quanto intellectus est superior et magis elevatus, tanto plura potest intelligere quæ inferiorem intellectum excedunt; sic patet in rustico qui nullo modo philosophiæ subtiles considerationes capere potest. Atqui intellectus humanus non est nobilissimus, intellectus enim angeli plus excedit ipsum quam intellectus optimi philosophi intellectum rudissimi idiotæ, multoque amplius intellectus divinus excedit angelicum, quam angelicus humanum. Ergo plura sunt quæ cognoscuntur a Deo et ab angelis, quæ intellectus humanus per se capere non potest. "Sicut igitur maximæ amentiae esset idiota, qui ea quæ a philosopho proponuntur falsa esse assereret, propter hoc, quod ea capere non potest, ita et multo amplius nimiae stultiæ esset homo, si ea quæ divinitus

angelorum ministerio revelantur, falsa esse suspicaretur,
ex eo quod ratione investigari non possunt.”¹

3º) **Ex defectu quem in rebus cognoscendis quotidie experimur;**—Magis videtur possibile omnia cognosci de rebus sensibilibus quam omnia quæ ad Deum pertinent. Atqui rerum sensibilium multas proprietates ignoramus, ut facile ex experientia constat. Ergo multo amplius omnia intelligibilia de Deo, ratio humana investigare non sufficit. Unde asserit Aristoteles, (Metaph. II t. CI) “ intellectus noster sic se habet ad prima entia, quæ sunt manifestissima in natura, sicut oculus vespertilionis ad solem.”

II

REALISMUS TEMPERATUS VERAM TUETUR DOCTRINAM CIRCA NATURAM UNIVERSALIUM

STATUS QUÆSTIONIS:—

1º) **Universale** est *unum aptum inesse pluribus et prædicari de multis, vel, unum in multis.* Unitas igitur et multiplicitas sunt genuinæ universalis conditiones.

Universale est duplex: metaphysicum scil. et logicum.

Universale metaphysicum (scu directum, seu materiale, seu primæ intentionis) est *ipsa natura* seu *quidditas* prout directe ab intellectu percipitur, abstracta a principiis individuantibus vel a conditionibus materialibus. In Petro v. g. habetur quidditas seu natura qua Petrus est homo, et sunt principia individuantia quibus Petrus est hic homo Petrus. Principia

1 — S. Thomas: loc. cit.

individuantia cognitione sensitiva percipiuntur; sed cum simplex apprehensio sit actus mentis quo quid sit res aliqua scimus, quando simplici apprehensione cognoscitur Petrus, percipitur de eo quid sit, scil. quiditas ejus, natura separata a principiis individuantibus. Illa autem natura hoc modo percepta, dicitur universale metaphysicum.

Universale logicum (seu reflexum, seu formale, seu secundæ intentionis) est *ipsa natura considerata ab intellectu ut habens ordinem ad plura, ut prædicabilis de pluribus*. Cum simplici apprehensione percipitur Pctrus, id quod terminat actum intellectus est conceptus naturæ humanæ; eodem modo cum apprehenditur Paulus, vel Carolus; sed mens nostra reflexione rediens ad conceptus cognitione directa efformatos, iam animadvertisit identitatem illorum trium conceptuum, et efformat conceptum unum pluribus communem. Iste autem conceptus repræsentans naturam unam pluribus communem, prædicabilem de pluribus, dicitur universale logicum.

Universale logicum supponit universale metaphysicum et aliquid addit supra ipsum, nempe intentionem seu formam universalitatis.

Intentio seu forma universalitatis est ipsa actualis relatio qua intellectus reflectendo supra suum conceptum refert aliquam essentiam abstractam ad plura individua seu ad plures species. (Illa relatio est rationis, quam sit opus mentis comparantis et judicantis, et est rationis ratiocinatæ, quia habet fundatum in rebus exterioribus: illud autem fundamentum est earum similitudo in natura seu in forma quadam accidental).

Universale metaphysicum considerari potest vel *quoad rem conceptam, vel quoad modum concipiendi.*

Universale quoad rem conceptam est ipsa natura quæ percipitur.

Universale quoad modum concipiendi est ipsa abstractio secundum quam illa natura concipitur.

2º) Universalo existit cum de ipso loquimur; sed universalē est ne quid reale vel ideale tantum? — Omnes philosophorum sententiæ ad tres reduci possunt. — a) Universalo nullo modo existit extra intellectum in rebus: Nominalismus, Conceptualismus. — b) Universale existit formaliter et actu extra intellectum: Realismus platonicus, ontologicus, empiricus. — c) Universale existit tum in rebus tum in intellectu, in rebus fundamentaliter et in potentia, in intellectu formaliter et actu: Realismus temperatus.

Primo ab Aristotele enuatiatus, postea a Sto Thoma traditus, *Realismus temperatus* docet universale logicum, universale scil. ut universale, actu non existere extra intellectum sed potentia tantum seu fundamentaliter; universale metaphysicum quoad rem conceptam seu naturam quæ concipitur realiter existere extra intellectum, non autem universalē quoad modum concipiendi, scil. abstractionem secundum quam illa natura concipitur esse in intellectu tantum.

DEMONSTRATUR THESIS:—

1º) Universale non potest non existere extra intellectum; aliter enim scientia nostra aut esset de singulis aut esset subjectiva, quod utrumque repugnat. Atqui universale non potest existere actu extra intellectum, omne enim quod existit singulare est. Ergo remanet quod sit actu in intellectu, in potentia vero in rebus. Atqui hæc est doctrina realismi temperati. Ergo realismus temperatus veram tuetur doctrinam circa naturam universalium.

2º) Realismus temperatus doctrinam proponit secundum duplice in affirmationem, nempe: a) Universale logicum existit actu in intellectu, in potentia tantum in rebus; b) Universale metaphysicum quoad rem conceptam realiter existit in rebus, quoad inodum concipiendi in intellectu tantum. Atqui vera est illa duplex affirmatio. Ergo Realismus temperatus verain tuetur etc. Probatur minor per partes:

Prima pars: — *Universale logicum existit actu in intellectu tantum, in potentia vero seu fundamentaliter in rebus.*

1º) Illud ens formaliter et actu invenitur in intellectu tantum quod est ens rationis. Atqui universale logicum est ens rationis. Ergo non existit actu nisi in intellectu. — Universale enim logicum constituitur in quantum universalis metaphysico mens nostra reflectendo supra conceptum suum addit intentionem universalitatis, nempe actualem relationem ad plura. Atqui illa actualis relatio ad plura quae est constitutiva formaliter universalis logici est ens rationis, cum sit opus mentis comparantis et judicantis. Ergo universale logicum est ens rationis ideoque existit tantum in intellectu.

2º) Sunt a parte rei naturae singulares quibus conveniunt eadem praedicata essentialia, v. g. Petrus, Carolus, etc... dicuntur homines; illae autem naturae cum considerantur ab intellectu, abstractae a notis individuantibus, aptae evadunt ad recipiendam intentionem universalitatis seu praedicabilitatem de pluribus. Atqui hoc est praebere fundamentum intellectui ad universale logicum concipiendum. Ergo universale logicum fundamentaliter seu in potentia existit in rebus.

Secunda pars: — *Universale metaphysicum quoad rem conceptam realiter existit in rebus, non autem quoad modum concipiendi.*

Id quod intellectus concipit, concipiendo universale metaphysicum est quidditas rei materialis; modus quo eam concepit est abstractio, scil. concipit eam præcione facta a notis seu principiis individuantibus. Atqui quidditas rei materialis invenitur quidem a parte rei, nempe in rebus materialibus, sed non invenitur in eis abstracta a notis individuantibus. Ergo universale metaphysicum invenitur in rebus quoad rem conceptam, non quoad modum concipiendi.

III

PRIMA PRINCIPIA CORPORUM SUNT MATERIA PRIMA ET FORMA SUBSTANTIALIS

STATUS QUESTIONIS :—

Principium est *id a quo aliquid quocumque modo procedit*. Principium autem esse potest vel extrinsecum ut causa efficiens vel finalis, vel intrinsecum ut causa formalis vel materialis. Hic queritur non de principiis extrinsecis corporum sed *intrinsecis*, scil. de principiis constitutivis essentiae corporeæ.

Non sit tamen quæstio de principiis corporum prout talia corpora sunt, scil. ferrum vel lignum, sed prout corpora sunt, unde queritur de *primis* principiis a quibus repetitur quod corpus sit corpus. Ista **prima principia** ab Aristotele definiuntur: *quæ ex se invicem, nec ex aliis, sed ex quibus omnia fiunt*.

Corpus autem est *substantia nata subesse trinæ dimensioni*, prout sensibus apparcat, sed si definitionem quidditativam tradere velim, dicendum erit: *corpus*

est substantia composita ex materia prima et forma substantiali.

Corpus enim naturale, prout manifestum est, generabile est et corruptibile, et secundum hoc ostendit se habere compositionem ex *subjecto* et *termino*.

Materia prima est *principium passivum, indeterminatum, subjectum omnium transmutationum substantialium*, illud nimirum quod in omnibus mutationibus substantialibus idein perseverat.

Dicitur hæc *materia prima* tum ut innuatur illam esse *subjectum* reliquas omnes formas sustentans quod nullo alio sustentatur; tum ut distinguatur a corpore ipso jam constituto ex *materia* et *forma* quod solet etiam nuncupari *materia simpliciter* vel *materia secunda*, quia eodem munere fungitur per ordinem ad accidentia, quam *materia prima* per ordinem ad formam substantialiem.

Forma substantialis est *principium activum ac determinans, terminus omnium mutationum substantialium*; est nempe actus, seu realitas illa quæ materiam veluti sigillans, hoc vel illud speci determinatæ corpus efficit. Forma dicitur *substantialis* ut distinguatur a formis accidentalibus seu accidentibus quæ non dant esse substantialē *subjecto* cui insunt, secus ac *forma substantialis*.

Itaque sicut in quolibet artefacto duo facile distinguuntur principia ipsum constituentia in illo esse accidentalē quod habet, nimirum corpus aliquod seu *materia secunda*, puta aes vel lignum ad conflandam statuam et figura quæ efficit ut aes vel lignum sit haec statua, ita etiam corpora in suo primo substantiali esse concipienda sunt, ex sententia Peripateticorum, ut *compositum* ex dupli elemento, altero materiali quod rationem habet *subjecti recipientis* actum alterius realitatis, altero

formali quod est hæc ipsa realitas, quæ materiam actuans in specie et dignitate constituit certi et determinati corporis, quæ proinde si a materia separetur desinit esso talo corpus. Sola itaque in materia non est corpus, nec sola forma, sed compositum ex materia et forma.

Materia est omnino in differens ad quacumque formam. Introductio formæ in materia dicitur generatio; separatio formæ a materia dicitur corruptio. Cum autem materia esse non possit sine principio formalis ipsam determinante, tunc amittendo formam aliquam, alteram acquirit, unde axioma: *corruptio unius, generatio alterius.*

In corporibus datur activitas et extensio. Oportet sequitur esse, unde agere est rei subsistoutis (quia subsistens habet esse); et ideo neque materia agit, neque forma, sed compositum: compositum tamen non agit ratione materiae sed ratione formæ; forma enim dat esso seu est principium essendi, unde est etiam principium radicale agendi in composito. Quantitas autem seu extensio se tenet ex parte materiae, cuius est *accidens proprium.*

DEMONSTRATUR THESIS:—

In substantiis corporalibus veræ dantur substantiales mutationes. Atqui nulla mutatio substantialis haberi potest sine subjecto substantiali quod ab uno in aliud statum transeat, et siue termino substantiali per cuius amissionem vel assecutionem subjectum istud dicitur substantialiter immutari. Ergo corpora dupli constant principio substantiali, altero quod sit subjectum, altero quod sit terminus mutationum substantialium. Atqui subjectum istud dicitur materia prima, terminus, forma substantialis. Ergo corpora intrinsece componuntur ex materia prima et forma substantiali.

Ad maiorem: — *Verae dantur mutationes substantiales.* — Proprietates diversæ atque contrarie in rebus expertæ sunt via ad infereudum diversum principiu[m], seu oppositam ipsarum rerum naturam. Etenim natura est principiuni et radix operationiū quæ sese habent ad ipsam sicut principiatum ad principiu[m]. Si igitur diversæ sunt operationes et oppositæ, diversa sunt principiata, et opposita, et diversa principia. Atqui ex experientia constat in mutationibus corporalium substantiarum, post mutationem iuveniri in substantia mutata operationes seu proprietates omnino diversas et oppositas hisce proprietatibus: quæ autem mutationem in corpore reperiebantur et quæ nunc nullo modo inventiūt; v. g. eum ex hydrogenio et oxygenio fit aqua. Ergo dieendum est naturam mutantam fuisse et veram mutationem substantialem locum babuisse.

Ad minorem. — 1^o *Transmutatio substantialis necessario postulat subjectum substantiale.* — Id patet ex sensu communi et quotidiana experientia. Videmus enim, quum corpus aliquod corrumpitur, non totum perire sed aliquid ex eo remanere; itemque quum corpus generatur non totum de novo fieri sed aliquid ex eo præcessisse. Nimis id quod de substantia corporis corrupti remanet et id quod de substantia corporis denuo geniti prius extiterat est materia prima quæ substantiam illam mutationem subivit. Cœterum si in transmutationibus substantialibus non semper esset subjectum, corpora quum corrumpuntur in nihilum redigerentur, et quum dignuntur, crearentur. Jamvero nullum denuo creatur corpus, et nullum in nihilum redigitur.

2^o) *Transmutatio substantialis concipi nequit absque termino substanciali.*

Id quod corpora quum corrumpuntur anniunt, solum operationum peculiarium quas frustra ab illis jam

corruptis expectabis; et id quod corpora quum generantur, acquirunt est radix novarum diversissimarumque actionum ac proprietatum. Atqui principium operationum et proprietatum diversissimarum nequit esse accidentalis quedam entitas sed substancialis. Ergo terminus a quo transmutationis corruptivae, seu id quod corpus interiens amittit, et terminus ad quem transmutationis generativae sen id quod corpora in generatione substanciali acquirunt est aliquid substantiale. Minor patet: cum enim entitas accidentalis substantiam quam afficit invariata in sua essentia relinquat, nequit etiam activitatem ipsius notabiliter immutare sed leviter dumtaxat alterare.

IV

MIRACULUM EST INTRINSECE ET EXTRINSECE
POSSIBILE

STATUS QUESTIONIS:—

Miraculum est id quod divinitus fit praeter ordinem communiter servatum in rebus. Miraculum igitur excedit vires totius naturae creatae, divinitus fit, et praeter naturae ordinem contingit.

Tripliciter autem potest aliquid excedere vires naturae, quoad substantiam facti, quoad subjectum, quoad modum, unde miraculum est triplex:

Miraculum quoad substantiam facti est effectus qui ita vires naturae excedit, ut nullo modo natura ipsum efficere possit; v. g. duo corpora esse simul in eodem loco.

Miraculum quoad subjectum est effectus quem natura quidem efficere potest, sed non in subjecto in

quo producitur; v. g. resurrectio mortui, natura dat vitam, sed non cadaveri.

Miraculum quoad modum est effectus quem natura producere potest, in subjecto in quo producitur, sed non eo modo quo producitur: v. g. eum quis subito per virtutem divinam curatur a febri sine consueto processu naturae.

Aliquid est *intrinsece possibile* quando non implicat contradictionem; *extrinsece*, quando datur causa quæ valeat ipsum producere. Cum igitur hie dicatur miraculum esse intrinsee et extrinsee possible, intelligitur; miraculum non implicat contradictionem, et datur causa quæ valeat miraculum producere.

Demonstratur thes 1 secundum suam duplieem partem:

I^o) **Intrinsece.** Ex eo enim in hujusmodi eventibus contradictione reperiaretur quod vel ordo naturæ creatæ esset absolute necessarius, vel facultas ejusdem naturæ infinita; nam si primum verum esset, ordo naturæ esset absolute immutabilis; si verum esset alterum, nulla vis exequitari posset quæ naturæ facultates excederet. Atqui a) falsum est naturæ ordinem esse absolute necessarium, est enim contingens et aëccidentalis; b) falsum quoque naturæ facultatem esse infinitam, nihil enim quod creatum sit et contingens, infinitum esse potest. Ergo.

II^o) **Extrinsece.** 1^o) Causa enim quæ essentia et virtute naturæ universæ ordinem et facultatem excedit, efficere potest id quod excedit ordinem facultatemque naturæ. Atqui Deus est hujusmodi causa. Nam cum haec ordinem libere constituerit, profecto non est ei subjectus, sed supra ipsum est; quumque ejus virtus infinita sit et ad omnia possibilia sese porrigit, procul dubio et naturæ facultatem superat et quæ præter haec facultatem sunt efficiere potest.—(Tongiorgi).

2º) Miraculum triplici ratione fieri concipitur: vel si Deus producat effectus causarum secundarum sine ipsis, vel si producat effectus ad quos causæ secundæ se non extendunt, vel si impedit effectum qui ab alicujus causæ creatæ actione naturaliter consequi deberet. Atqui Deus hac triplici ratione miraculum facere potest.—Siquidem potest producere effectus causarum secundarum sine ipsis, quia suam illis virtutem dedit et proinde habet ipsæ virtutes quos habent causæ secundæ.—Potest etiam producere effectus ad quos sese non extendunt causæ secundæ; majorem enim his virtutem habet, quum sit infinitæ virtutis, hæ autem finitæ.—Potest demum impeditre effectum qui naturaliter ab actione causæ creatæ consequi deberet, quia nullus effectus rerum ad earum essentiam pertinet. Unde si homo, qui nullius naturæ est auctor, impeditre potest effectum alicujus rei, Deus qui est conditor omnium naturarum potest a fortiori creaturæ cuiusvis naturalem effectum prohibere.—(Vallet.)

V

UNIO AMINÆ ET CORPORIS EST SUBSTANTIALIS
ET PERSONALIS.

STATUS QUÆSTIONIS:—

Unio in genere est conjunctio aliquorum in aliquo uno: ad unionem igitur, requiritur *pluralitas unibilia*, et *unitas termini* in quo conjunguntur. Unumquodque autem secundum quod habet esse habet unitatem. Jamvero esse primo dividitur in esse substantiale, et in esse accidentale, unde unio est duplex: unio substantialis et uero accidentalis.

Unio substantialis est conjunctio aliquorum in uno esse substantiali.

Unio accidentalis est conjunctio aliquorum in uno esse accidentalis.

Sed esse substantiale dicitur dupliciter: nam substantia dicit vel naturam, seu quidditatem non terminatam per subsistentiam, vel dicit naturam terminatam per subsistentiam. Unde unio aliquorum in uno esse substantiali potest fieri dupliciter. Vel est unio seu *conjunctio aliquorum in una quidditate specifico completa*, et illa *unio* dicitur **essentialis** et etiam **substantialis**, prout nomen genericum sepe saepius transfertur ad aliquam speciem significandam, vel est *conjunctio aliquorum in supposito secundum individuo completo*, et illa *unio* dicitur **personalis**.

In unione accidentalali illa quae uniuntur esse suum proprium et operationem suam conservant et ex illa unione nova non exurgit essentia.

Unio essentialis seu substantialis fieri potest ex pluribus dupliciter: uno modo ex duobus vel pluribus substantiis numero et specie perfectis sed transmutatis: v. g. ex oxygenio et hydrogenio fit aqua. Unio animae et corporis propter simplicitatem et incorruptibilitatem animae hoc modo fieri non potest. Alio modo fit unio substantialis ex aliquibus substantiis non permutatis sed specie imperfectis, scil. ex principiis quidditativis; sic v. g. ex anima equina et corpore fit equus et in genere ex materia et forma fit substantia corporea. Quando dicitur unio animae humane et corporis esse substantialis hoc modo intelligitur: scil. ita anima humana corpori unitur ut anima sit forma corporis.

Quod unio inter animam et corpus non sit accidentalis tantum, hoc apparet ex ipsa definitione hominis. Homo enim est animal rationale, unde essentialiter constat ex anima rationali et corpore organico ut ex

principiis physicis et essentialiter requisitis ad ejus specificam naturam constituendam.

DEMONSTRATUR THESIS :—

Prima pars :— *Unio animæ humanæ et corporis est unio personalis.* — Scil. anima humana et corpus ita ad invicem conjunguntur ut ex earum unione unica resultat persona.

Actiones sunt suppositorum. Ergo si in homine omnes actiones animæ et corporis uni et unico subjecto tribuntur, unicum in homine suppositum vel unica persona habetur ex animæ et corporis conjunctione resultans. Atqui omnes actiones sive animæ, sive corporis unico tribuuntur subjecto. Ego enim ambulo, ego sentio, ego intelligo. Unica igitur in homine datur persona, ideoque animæ humanæ et corporis unio est personalis.

Actiones sunt suppositorum, scil. supposito tribuntur. Suppositum enim cum sit subjectum actus essendi, quia est naturæ completæ individua substantia, est principium *quod* activitatis, ipsi nempe competit agere, quia ipsi competit esse. Jamvero omne agens agit per formam aliquam, et illa forma dicitur principium *quo* actionis. Sic homo cadit et intelligit, cadit corpore intelligit anima; sed cum operationes tribuuntur unico subjecto, tunc unum datur principium *quod* et ideo una persona.

Secunda pars :— *Unio animæ humanæ cum corpore est substantialis :—* scil. ita anima humana et corpus ad invicem conjunguntur ut ex eorum unione unica specifica natura resultat.

1º) Ea quæ diversa sunt secundum substantiam et naturam non possunt exercere unam eamdemque numero operationem. Ergo diversorum entium naturâ, diversa est operatio, et quibus communis est natura, communis est operatio. Atqui corpus et anima in

homine habent communem operationem, v. g. sentire. Ergo corpus et anima humana conveniunt in unitate naturae quae ex unione utriusque resultat. Ergo unio animae et corporis in homine est substantialis.

2º) Ex unione animae rationalis cum corpore constituitur integras speciei humanae. Atqui ea quae junguntur ad integrum speciem constituendam uniuntur substantiali unione. Ergo unio animae humanae cum corpore est substantialis.

Majoris veritas appareat ex eo quod species dicitur completa quando efficere potest omnes operationes proprias illius speciei. Sed neque anima sola necque corpus solum illas operationes hominis proprias efficere possunt. Ergo convenient in formanda innata natura specie complete.

VI

SOCIALISMUS EST REJICIENDUS

STATUS QUÆSTIONIS :—

Socialismus definitur a Leone XIII, in sua littera encyclica *Rerum novarum*, systema corum qui requirunt proprietatis privatae abolitioem, singulorum bona esse commuua necnon et administrari a societate vel a municipio.¹

Hæc generalis definitio complectitur omnia systemata quae, a doctrina communismi derivantia, transformationem societatis civilis negatione juris proprietatis et

1 — “ Qui evertere privatas bonorum possessiones contendunt, earumque loco communia universis singulorum bona facere, procurantibus viris qui aut municipio praesint, aut totam rem publicam gerant.” — *Rerum novarum*.

nova bonorum distributione prædicant. Præcipua habentur:

Communismus, qui contendit omnia bona esse communitatis propria, et tum productionem tum distributionem ipsorum ad communitatē spectare.

Anarchismus, qui omnia bona productiva in dominium inalienabile *municipiorum* vel *societatum operariorum* inter se independentium transfere desiderat, negata quacumque publica auctoritate. Bakunin ut parcens hujus doctrinæ habetur.

Socialismus proprius dictus, qui et *Collectivismus* nuncupatur, cuius magister præcipuus habetur Carolus Marx, Treviris natus A. D. 1818, Londini mortuus 1883. Definitur: systema œconomico-politicum quod transfert in dominium totius societatis civilis omnia bona productiva, ipsi societati democratice constitutae tribuens ordinationem tum productionis tum distributionis ipsorum.—Socialistæ ab anarchistis distinguuntur ex eo quod 1^o) auctoritatem civilem admittunt quam anarchistæ rejiciunt; 2^o) mediis politicis, v. g. electionibus, utuntur, dum anarchistæ ista media contemnunt et vi finem suam consequi volunt.

Tandem **Socialismus agrarius** cuius princeps exstitit H. George, et qui definitur: systema quod in dominium societatis transferre contendit non omnia bona productiva, sed *immobilia* tantum, scil. solum agros, prata, silvas, fodinas etc), reliqua vero bona productiva in dominio privato relinquens.

Contra omnes proponuntur argumenta quibus utitur Leo XIII, in prædicta littera encyclica: *Rerum novarum*.

Doctrina socialistarum est I^o *inepta*; II^o *injusta*; III^o *subversiva*.

I^o **Inepta**:—Illa doctrina inepta est quæ duni opificum conditionem perficere vult, ipsam deteriorem red-

dit. Atqui talis est socialismus cui negando jus privatæ proprietatis adimit opifici spem melioris sortis. Ergo.

Ad minorem :—“ Sane, ait Leo XIII, ipsius operæ quam suscipiunt qui in arte aliqua quæstuosa versantur, hæc per se causa est, atque hie finis quo proxime spectat artifex, rem sibi quærere privatoque jure possidere uti suam ac propriam. Is enī, si suam alteri industriam commodat, hanc ob causam commodat, ut res adipiscatur ad vietum cultumque necessarias, ideoque ex opera data ius verū perfectumque sibi quærerit non modo exigēt mercantis, sed et collocandæ uti vult. Ergo si tenuitate sumptuum quicquam ipse comparsit, fructuumque parem aliae suæ, in prædio collocavit, profeoto prædium istiusmodi nihil est aliud, quam merces ipsa aliam induit speciem: proptereaque cœmptus sic opifici fundus est tam in ejus potestate futurus, quam parta labore merces. Sed in hoc plane, ut facile intelligitur, consistit dominium rerum vel invenitum vel solidarum. In eo igitur quod bona privatorum tranferre socialistæ ad commune nituntur, omnium mercenariorum faciunt conditionem deteriorem, quippe quos, collocandæ mercedis libertate sublata, hoc ipso augendæ rei familiaris utilitatumque sibi comparandarum spe et facultate despoliauit.”

II^o Injusta: — Illa doctrina est injusta quæ ad meliorem opificum conditionem prouovendam, renewdium cum justitia aperte pugnans proponit. Atqui ita agit socialismus denegando jus possidendi res privatim ut suas homini privato et familiæ a natura datum. Ergo doctrina socialistarum injusta est et rejicienda.

Minor demonstratur: — Prima pars: *Jus proprietatis a natura homini privato conceditur*:—a) Ex superioritate hominis super belluas.—Homo enim in hoc

excellit et a brutis distinguitur quod utatur ratione dum naturæ instinctu belluæ reguntur et gubernantur. " Propterea bona ipsi tribnere necesse est non intenda tantum, quod commuue est animantium, sed possidenda stabili perpetuoque jure." b) Ex co quod homo sit sua propria providentia:— Homo, cum suarum actionum dominus sit, sub potestate gubernantis Dei, seipsum gubernat providentia consilii sui. Atqui providentia complectitur non tantum præteriorum experientiam et præsentium cognitionem, sed et futurorum prævisionem. Ergo ad hoc ut homo sibi bene provideat non tantum debet habere fructus terræ, sed terram ipsam ut a terræ fetu res sibi suppeditari valeat ad futurum tenipus necessarias. " Neque est cur providentia introducatur reipublicæ: est enim homo, quam respublica, senior: quocirca jus ille suum ad vitam corpusque tuendum habere natura ante debuit quam civitas ulla coisset."

c) Cœterum hæc veritas universalitate generis humani, paucis exceptis, conceditur, necnon a lege civili et a lege divina confirmatur.

Secunda pars:— *Jus proprietatis familiæ a natura datur.*— Jus dominii homini privato a natura concessum, homini qua caput est familiæ etiam tribuitur; et jus illud tanto validius est quanto persona humana in societate domestica majorem accipit exteusionem. " Sanctissima enim naturæ lex est, ut victu omniisque cultu pater familias tueatur quos ipse procreavit; idemque illuc a natura ipsa deducitur, ut velit liberis suis, quippe qui paternam referunt et quodammodo producent personam, acquirere et parare unde se honeste possint in ancipiti vitae cursu a misera fortuna defendere." Atqui non alia ratione id efficere potest nisi jus proprietatis habeat iu bona quæ ad liberos hereditate transmittat. Ergo.

III^o Subversiva :—Sozialismus enim maxima mala produceret, nempe : *a*) perturbationem ordinumque commutationem, spoliatione bonorum privatorum ; *b*) duram et odiosam civium servitutem, servili omnium subditione reipublicæ tum quoad laborem, tum quoad bonorum productionem et distributionem ; *c*) invidiam mutuam necnon et discordias ; *d*) segnitiam universalem, ademptis ingenio singulorum solertiaeque stimulis ; *e*) paupertatem æqualitatemque in miseria, exarescentibus necessario ipsarum divitiarum fontibus.

VII

SUFFRAGIUM UNIVERSALE NEQUIT TANQUAM JUS
NATURALE OMNIBUS DEBITUM REQUIRI, NEC
HABERI UT REGIMENT OPPORTUNUM QUIA
GRAVISSIMA MALA TUETUR.

STATUS QUESTIONIS:—

Jus suffragii definitur : ¹ “ *facultas legalis atque onerosa designandi magistratus per quos, ex parte saltem, regatur res publica.* ”

Dicitur ^{1^o} *facultas legalis*, munus ex lege manans, quod competit iis quos lex aestimat hac facultate instruendos, non autem jus singulis a natura collatum. Non est munus propriæ dictum seu strictum cum non gerendum sit ex obligatione justitiae commutativæ, est

1 — “ Le droit de vote est une fonction dont la société investit ceux qu'elle estime en état de la remplir.” Beernaert. “ Le droit de suffrage est une fonction conférée et non une fonction acceptée.” Woeste.

nempe aliquod beneficium seu privilegium ex justitia legali exerceendum.

2º) *Onerosa*, obligationes scil. parens, nempe eligendi deputatos probos, jus strictum societatis non lædendi ut a dignis regatur.

3º) *Designandi magistratus*, suffragio enim populi, ut affirmat Leo XIII, "designatur princeps, non conferuntur jura principatus; neque mandatur imperium, sed statuitur a quo sit gerendum." (*Diuturnum*). Hie accipitur vox *magistratus* ad significandos *deputatos* et *senatores*, nil obstat quod extendatur ista significatio ad hoc ut alios etiam compleetatur, nempe judices etc.

4º) *Per quos regatur respublica*. Qui enim eliguntur proprie reipublicæ præsunt, et ipsam regunt proprio arbitrio, non autem ut mere populi mandatarii.

5º) *Ex parte saltem*, quia ubi regimen mixtum habetur, alii sunt rempublicam gerentes alio quam suffragii titulo.

Juxta hanc definitionem jus suffragii a lege ortum dueit; sed qui prædicant societatem originem ducere ex consensu individuorum, populumque vi suæ suprematiæ summum habere imperium quod exercetur per mandatarios a se electos, jus suffragii vindicant non quidem ut facultatem legalem, sed ut jus quoddam a natura singulis individuis collatum, unde proclaimant *suffragium universale*, scil. jus omnium individuorum concurrendi ad eligendos populi deputatos. Contra ipsos igitur demonstratur prima pars theseos: *suffragium universale tanquam jus naturale omnibus debiām requiri nequit*.

Alii autem sunt qui, licet admittant jus suffragii, jus esse politium non autem naturale, ipsum tamen ad omnes cives extendendum esse tenent: omnes enim cives vectigalia solvunt, unde omnes jus habent influxum

exercendi in usum quo expouduit pecunia a se solutæ. Unde suffragium universale ab ipsis habetur, non quidem ut jus naturale omnium, sed ut regimen opportunum ut nempe servetur justitia distributiva ad quam portinet inter cives distribucio secundum proportionem munera et onera. Ista sententia licet veram notionem societatis et auctoritatis non ostendat, et, supposita naturali hominis bonitate, nullam involvaret repugnantiam, tamen spectata hominum infirmitate et corruptione rejicienda est, et contra ipsam inovetur theseos secunda pars : *suffragium universale haberi nequit ut regimem opportunum quia gravissima mala tuetur.*

PROBATUS THESIS :—

1º). **Prior pars :** *Suffragium universale tanquam jus naturale omnibus debitum haberi nequit.*

Jus suffragii, ut a natura omnibus collatum non defenditur, nisi admittatur societatem civilem ortum ducere ex voluntate, et ex consensu sociorum ad quos pertinet vi sue suprematæ auctoritatem constitutre. Atque societas civilis nullo modo consensu singulorum constituitur, sed hominum socialem naturam consequitur; suprema potestas politica penes totum populum non residet, sed imminicatur a Dco, auctore naturæ, descendit. Ergo jus suffragii ut a natura omnibus collatum defendi non potest.

2º) Jus suffragii, si naturale sit, omnibus competere debet qui rationis satis sunt compotes : quod inferret suffragium universale mulierum. Atque plerique etiam defensores doctrinæ quam uunc rejicimus, emancipationem politicam mulierum admittere non audent. Ergo denegandum est quod jus suffragii sit a natura omnibus collatum.

3º) Tandem si jus suffragii sit naturale, quomodo explicari potest quod tam multi populi ipsum ignorant?

runt; ex historia enim constat ipsum, ubi viguit aliquo modo forma regiminis representativa, semper habitum fuisse ut privilegium quibusdam concessum, multitudini autem denegatum.

II^o) Secunda pars: Suffragium universale haberi nequit ut rei, non opportunum quia gravissima mala tuetur.

1^o) In ordinatione juris suffragii primo spectandum est ad bonum commune, secundo ad aequalem juris distributionem. Atqui bonum commune postulat ut jus suffragii non sit universale, scil. non ad omnes cives extendatur, et huic ordinationi ratio justitiae non obstat. Ergo suffragium universale haberi nequit ut regimen opportunum.

Ad majorem: Eteum si jus suffragii a natura non sit, sequitur quod sit privilegium vel munus a lege concessum. Lex autem est ad bonum commune. Ergo in ordinatione juris suffragii primo spectandum est ad bonum commune. Tamen non spemenda est ratio justitiae distributivae quantum patitur bonum commune; unde additur: secundo ad aequalem juris distributionem.

Ad minorem: — Prima pars.—Bonum commune postulat ut jus suffragii non sit universale.—Bonum commune societatis requirit, et jus ejus strictum est, ut a dignis regatur. Ergo ita ordinanda est suffragii juris distributio ut conducat ad optimorum electionem. Atqui suffragium universale id non praestat; committit uenipe magnae hominum parti quae necessario ex pauperibus, indoctis et improbis constat, curam eos eligendi qui societati praesesse debent.—“ Le succès, dit Lamartine, est presque toujours ici-bas du côté des mauvaises causes: c'est que le nombre fait le succès et que le plus grand nombre étant ignorant ou pervers, il est

toujours facile aux méchants de trouver des complices et d'écraser sous le nombre la justice ou la vérité."— "Dans les asssemblées, dit Montesquieu, on prend les voix à la majorité, mais on a reconnu par expérience qu'il vaudrait mieux les recueillir à la mineure, car il y a très peu d'esprits justes et une infinité de faux."

Secunda pars : *Huic ordinationi ratio justitiae non obstat.*— Etenim salvatur justitia distributiva si aequum jus suffragii possideant qui aequum bono publico auxiliari valent.

• 2º) Illud non potest haberi ut regimen opportunum quod maxima mala tuetur. Atqui suffragium universale est hujusmodi. Ergo.

Ad minorem :— Suffragium universale a) fere necessario secum conjunctas habet continua agitationes politicas quae perpetuae fermentationi politicæ ausani præbent, partium studia et odia fovent;

b) Politicam civium corruptionem gignit plerumque ius summam potestate tribuendo qui majorem pecuniam vim in electiones impendunt et minore scrupulo diversa agitationis media usurpant;

c) Legum constantiam tollit, cum non raro fiat ut reprobantes populi homines novi sint et audace, necnon rerum novarum amatores;

d) A parte majori minoris oppressionem facile permittit, et ideo hinc principio favet : numerus jus constituit;

e) Tandem facile ducere potest ad socialismum : nam si proletarii contra divites et contra jus proprietatis moveantur, ut fit nostris temporibus, quis non videt suffragium universale medium efficax constituere ordinem socialem reformandi ad mentem socialistarum qui aperte et vehementer ad ipsum appellant, et in ipso spem infallibilem reponunt.

VIII

LIBERALISMUS NULLO MODO ADMITTI POTEST¹
STATUS QUESTIONIS:—

Liberalismus est systema eorum qui naturam libertatis adulterantes supremam independentiam hominis respectu Dei et eorum qui de ejus auctoritate participant profitentur.

Liberalisini distinguitur forma multiplex: potest enim voluntas non uno modo, neque uno gradu descendere ex obtemperatione quæ vel Deo, vel iis qui divinam potestate in participauit debetur.

1^o) **Liberalismus radicalis**, "pessimus liberalisini genus," ille est qui summum Dei imperium recusans, omnem obedientiam exuit tum in publicis tum in privatis domesticisque rebus.—Juxta hanc primam liberalismi formam voluntas humana est omnino independens, nec aliquo tenetur officio erga Deum, sive in ordine religioso qui de facto negatur, sive in aliquo alio ordine, vel morali scil. vel politico, vel domestico, vel privato. Ex hac prima forma dimanant omnes moderni errores: atheismus privatus et politicus, suprematia populi, jus seditionis, libertas cultus, libertas conscientiæ, libertas loquendi, docendi, et libertas præli.

2^o) **Liberalismus mitigatus** est sistema eorum qui adiuvant voluntatem humanam pendere a Deo ut est auctor naturæ, sed audacter repudiant leges fiduci et morum ipsa Dei auctoritate traditas, quas natura non capiat. Hic igitur admittitur existentia religionis naturalis, sed negatur existentia religionis supernaturalis necnon et Ecclesiæ Christi.

1 — Quæ in hac thesi proponuntur ex littera encyclica Leonis XIII. *Libertas præstantissimum desumuntur.*

3º) **Liberalismus politico-religiosus** est sistema eorum qui admittunt aliquo modo religionem supernaturalem, sed nihil esse aiunt cur ipsius ratio habeatur in rebus publicis: nutu scil. legum divinarum dirigendam esse utique vitam et mores privatorum, non tamen civitatis; in rebus enim publicis fas est a jussis Dei discedere, nec ad ea ullo modo in condendis legibus intueri. Ex hoc doctrina tanquam a suo principio manat perniciosa sententia separationis Ecclesiae et Civitatis. Sed iste liberalismus secundum triplicem gradum distinguitur.

Primus gradus: sistema eorum qui separationem radicalem et completam Ecclesiae et Status vindicant, ita ut in omni jure societatis humanae, in institutis, moribus, legibus, reipublicae muneribus, institutione juventutis, non magis ad Ecclesiam respicienduni censemant, quam si esset omnino nulla.

Secundus gradus: sistema eorum qui aliquam adiungunt relationem Ecclesiam inter et Statum, sed imperfectam; ipsi enim naturam juraque propria societatis perfectae Ecclesiae eripiunt; Ecclesiae est non regere sua sponte subjectos, sed cohortari tantum et suadere. Juxta igitur hunc liberalismi gradum, Ecclesia aliquam influxum exercere potest in rebus publicis, non tamen imperando, sed per modum consilii ethortationis tantum.

Tertius gradus (*liberalismus catholicus*) est sistema eorum qui Ecclesiam ut societatem perfectam habent, qui jus ipsius admittunt imperandi in rebus publicis ita ut res civilis a re sacra distrahi non debeat, sed quod Ecclesia isto jure utatur, non expedit: "faciendum censem ut Ecclesia tempori obsequatur et flectat se atque commonet ad ea quae in administrandis impiis hodierna prudentia desiderat."

En sunt diversæ liberalismi formæ quarum falsitatem demonstrare conabimur arguendo *primo*, modo generali, fundimentum liberalisimi subvertendo; *secundo*, modo speciali contra singulas formas argumentum saltem indicando.

Liberalisini error in perverso humanæ libertatis conceptu fundatur: unde maximi momenti est ut in praesenti thesi clare primo appareat hujus libertatis conceptus germanus, quem autem expouere ducente Leone XIII, in sua littera encyclica, *Libertas præstantissimum*, satis facile erit.

DEMONSTRATUR THESIS:—

Primo, modo generali arguitur:

Ita a Liberalismi fantoribus intelligitur libertas ut sit absoluta et omni moda independentia voluntatis humanæ a quacunque auctoritate sive divina sive humana. Atqui vinculum dependentiae ab utraque auctoritate supponit germanus libertatis conceptus nedum hanc independentiam involvat. Ergo cum liberalismus hoc perverso conceptu totaliter nitatur, falsus omnino declarandus est et rejiciendus.

Ad minorem :—^{1º}) Libertas est facultas eligendi inter media quæ ad finem determinatum ducunt: qui enim facultatem habet unum aliquod eligendi e pluribus, is est factorum suorum dominus.

^{2º} Cum autem id quod accipitur in quantum ad aliud dicit est bonum utile, et bonum sit objectum voluntatis, dicendum est quod liberum arbitrium nihil aliud sit quam ipsa voluntas quatenus in agendo habet eligendi facultatem.

^{3º} Voluntas non movetur nisi mentis cognitio præcesserit et velut fax quædam præluxerit: scil. bonum voluntati concupitum, est necessario bonum quatenus rationi cognitum. Libertas igitur, si in voluntate inest

quæ natura sua appetitus est rationi obediens, debet et ipsa pro objecto habere bonum rationi conforme.

4º) Tamen quoniam utraque facultas, a perfecte absent, fieri potest et saepe fit ut mens voluntati propinquat quod non sit reapse bonum, sed adumbratain boni speciem habeat, et in id sese voluntas applicet. Verum siue errare posse et revera errare vitium est intellectus et imperfectio, eodem modo arripere fallax fictumque bonum, esto sit liberi arbitrii indicium, sicut aegritudo vitæ, vitium est libertatis et imperfectio. Ergo a bono declinare posse et malum facere non est de essentia libertatis; unde Deus cuius libertas perfectissima est malum culpæ nulla ratione velle potest.

5º) Cum igitur talis est in homine conditio libertatis, munienda erat aptis adjumentis quæ cunctos ejus motus ad bonum dirigerent, a malo retraherent: secus multum homini libertas nocuisse. Ergo *lex*, hoc est agendorum atque omittendorum norma, fuit uccessaria. Libertas igitur humana vinculum legis propter suam imperfectiōem supponit, nedium quocumque vinculum dependentiae excludat; et lex ipsa non solum libertatem non destruit, sed perficit in quantum ipsam impedit ne ad malum declinet. Nihil igitur tam perversum dici vel cogitari potest quam illud, hominem, quia natura sua liber est, ab omni lege esse immunem, cum contra verisimilium sit, idcirco legi oportere subesse, quia est natura liber.

6º) Prima autem hominis *lex naturalis* datur quæ nihil aliud est quam humana ratio recte facere jubens et peccare vetans. Ista humanæ rationis præscriptio vim habere legis non potest, nisi quia altioris rationis vox est et interpres. Etenim ut lex obligat a superiore dimanare debet, ratio autem humana sibi superior non est. Ergo consequitur quod lex naturalis sit ipsa *lex aeterna*, in cordibus hominum impressa, quæ (*lex*

æterna) a Sto Thoma definitur: ratio divinæ sapientiæ secundum quod est directiva omnium actionum et et motionum. Libertas humana cum a lege naturali dirigitur, vinculo igitur dependentiæ erga divinam auctoritatem necessario obstringitur.

7º) Tandem quemadmodum homo privatus lege naturali ducitur ad bonum faciendum et malum vitandum, ita *lege humana* ad bonum commune promulgata dirigitur homo in societate constitutus. Lex autem humana a lege naturali derivatur: non est enim aliud nisi præceptorum hujus legis naturalis nova promulgatio vel ulterior determinatio. "Natura igitur libertatis humanæ quocumque in genere consideretur tam in personis singulis quam in consociatis, nec minus in iis qui imperant quam in iis qui parent, necessitatem complectitur obtemperandi summæ æternæque Dei rationi."

Secundo, modo speciali, contra singulas Liberalismi formas argumentum indicatur.—1º) *Contra liberalismum radicalem*.—Argumentatio nostra generalis contra hanc liberalismi formam præsertim valet; unde addere sufficiat: hominem obligationem habere exhibendi Deo religionis cultum, eoque modo quem Deus ipse determinare voluerit; auctoritatem civilem esse participationem divinæ auctoritatis a qua originem dicit, ideoque ipsi venerationem et obedientiam deleri; in ordine morali hominem non sibi esse legem, sed a lege naturali quæ impressio est legis æternæ dirigi; nullam tandem esse libertatem ad malum quod semper et ubique est vitandum.

2º) *Contra liberalismum mitigatum*.—Fautores hujus liberalismi negant hominem liberum subesse legibus quas imponere Deus vult, alia via præter naturam: sibi ipsi contradicunt. Si enim, ut convenient, voluntati legislatoris obediendum sit, quia totus homo in potestate Dei est et ad Deum tendit, consequitur nemini

nem auctorati ejus legiferæ terminos modumque præscribere, quin hoc ipso faciat contra obedientiam debitam. Immo si ratio humana sibi arrogaverit decernere iura Deique officia, vñecundiam legum divinarum retinebit plus specie quam ræ et arbitrium ejus valebit præ auctoritate divina.

3º) *Contra liberalismi politico-religiosi primum gradum.*—Hæc liberalismi forma separationem radicalem Ecclesiæ et Status vindicat. Absurda est hæc doctrina. 1º) Etenim societas debet civibus suppeteræ media opportunitatesque ad vitam honeste, scil. secundum Dei leges, ducendam, quia Deus est omnis honestatis justitiæque principium. Ergo illud vehementer repugnat, societatem posse simul nihil de iisdem legibus curare, vel aliquid ipsis contrarium statuere. Per absurdum enim est ut Ecclesiam civis vereatur, civitas autem contemnat.

—2º) Ecclesia et Status eosdem homines, in eodem territorio, et saepè in eadem materia, licet sub diverso respectu, sibi subjectos habent. Atqui supposita plena separatione moraliter evitari non potest, ut, quæ Ecclesia præcipit repugnant legibus civitatis et viceversa. Aut ergo dicendum Deum voluisse pcrpetua jurgia inter Ecclesiam et Statum in utriusque perniciem, aut voluisse inter utrumque juridicam conjunctionem. Ista autem conjunctio rite similis dicitur unioni animæ et corporis in homine.

4º) *Contra secundum gradum.*—Cum hæc liberalismi forma ipsi Ecclesiæ jura societatis perfectæ deneget, sufficit recolere: Ecclesiam non esse partem alterius societatis, cum societas universalis sit, finem habere supremum, ideoque independentem esse a societate civili, omnia media etiam in se habere ad finem suum consequendum, rationem igitur societatis perfectæ sibi vindicare.

5º) *Contra tertium gradum.*—Qui jus habet, ad ipsum pertinet de opportunitate jure utendi dijudicare. Si igitur Ecclesia jus habeat influxum exercendi in rebus politicis secundum quod ad salutem aminarum interest, ad ipsam pertinet dijudicare utrum isto jure uti expediat vel non. Verum non repugnat petere ab Ecclesia ut, explorata spe magni alicujus boni, indulgentem sese impertiat, idque temporibus largiatur, quod salva officii sanctitate potest; secus vero est si agatur de rebus ac doctrinis silentio confirmandis quæ mutatio morum et fallax judicium contra fas invenerint. “ Nullum tempus vacare religione, veritate et justitia potest: quas res sanctissimas cum Deus in tutela Ecclesiæ esse jusserit, nihil est tam alienum quam velle ut ipsa quod vel falsum est vel injustum dissimulanter ferat, aut in eis quæ sunt religioni noxia conniveat.”

A. M. D. G.

INDEX

	PAG.
DEFINITIONES	3
I.—Rationalismus non est admittendus.....	6
II.—Realismus temperatus veram tuetur doctrinam circa naturam universalium'.....	8
III.—Prima principia corporum sunt materia prima et forma substantialis.....	12
IV.—Miraculum est intrinsece et extrinsece possibile.	16
V.—Unio animæ et corporis est substantialis et per- sonalis	18
VI.—Socialismus et rejiciendus.....	21
VII.—Suffragium universale nequit tanquam jus natu- rale omnibus debitum requiri, nec haberi ut regimen opportunum quia gravissima mala tue- tur.....	25
VIII.—Liberalismus nullo modo admitti potest.....	30

